



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Historia Missionis Anglicanæ Societatis Iesv

More, Henry

Avdomari, 1660

Decernuntur mittendi. n. 28.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38320


Hæc si fugitis, si dies noctesque omnes, & horas hoc metu obfistas, morte ipsa grauiore existimatis, quâ obsecro ratione Auditoribus vestris suadetis vt in eos se nodos induant, in quibus vestrorum nullos videre possunt. Magnus ille *Gregorius*, quem Apostolum veneramus, non in educanda Iuuentute Anglicana tantummodo, non in mittendis in syluescentem hanc vineam operarijs memorabilem se præstitit, ipsum se addere cupiebat laborantibus, & tanto emento itinere dare se locium, vt quos verbo prouocaret, incitaret exemplo: Et illum quidem maiora, ad quæ parabatur, detinere, vos quid est quæso quod detineat? Hoc vestrum institutum, hæc vita vestra atque disciplina est, vt contra inimicos Ecclesiæ Dei, quoscunque demum agros depopulentur, veniatis: Huc igitur vertite oculos, videte stragem, nudam religionem Insulam vniuersam inspicite (parla modo si hinc inde Catholicorum paucorum tecta prætereas.) Monstra hæresum quotidie noua vnde quaque infidientia si audientibus horrorem incutiunt, præsentibus minantur perniciem, cur non itis contra? cur rectius alibi quàm his domandis, bonis conseruandis augendisque studium vestrum laboremque impendi arbitramini? Non existimo quidem; neque vos existimare par esse censeo. Recolite animo qualem Sanctæ sedi fecistis promissionem: Complectitur illa, fateor, virtute generosâ orbem vniuersum. At vniuersi Caput isthic præcipuè petitur; à quo Capite omnium vita, à quo vnitas atque connexio, à quo ordo omnis ac recta membrorum dispositio dependet: In huius vnus defensione Orbi vniuerso deseruietis: huius hostes si profligaueritis portenta reliqua opinionum propediem euanescent. Hic campus vestræ debetur gloriæ: Hæc omnium gentium Arx, non vulgari impetu apud nostrates impugnata, atque maioribus indies animis, armis infestioribus impetita, vestram implorat opem, flagitat industriam: Huc vos denique non Natura solummodo, quam contemnitis, non cunctis communis religio, quam veneramini, sed et voti vestri peculiaris sanctitas vocat; vt quod odium libido genuit, nutriuit obstinatio, fouet vsque & vsque impietas, hoc vestra pietas, vestra firmitudo atque constantia, gloriose certamine, vel sudore restinguat vel sanguine.

XXVIII. Hæc dum apud se *Alanus* atque apud *Pontificem* & purpuratos Patres, ipsumque *Personium*, & alios in vrbe Anglos disserit, de mittendis in Angliam Patribus dies deliberationi dicitur, *Pontifice* rem ad *Mercurianum* referente; in quâ, licet negantium sententia validis rationibus fulciretur, cuius Decernuntur mittendi: cuius tamen eorum qui affirmabant, præsertim cum *Oliuerius Manaræus* Germaniæ assistens, & totius Septentrionis curis præfectus, eam vehementer suaderet, & accederet *Claudij Aquauine*, Romanæ Prouinciæ tunc temporis Præpositi, non opinio modò, sed votum tanto se operi, si per superiores liceret, consecrandi. Mittendorum delectum haud difficilem faciebat locus. Nam *Personius* in vrbe sub oculos degebat, vir consideratus, & rerum magnarum agendarum gloriæ par: *Campianum* Praga tenebat quidem, sed fa-

1579. ma ab Roma longius abesse nunquam sinebat quocumque discessisset. In hos omnium calculi conueniunt. Cæteri enim ex Anglis, qui Societati nomen dederant, vel cursum studiorum nondum expleuerant, vel in remotiora ad Septentrionem loca concesserant, variis tradendis disciplinis occupati, neque opportunè adesse Romæ potuissent. *Alanus Perfonio* coram, *Campiano* per literas gratulatur nouam, atque vris summo ingenio, summaque prudentia, atque constantia præditis inuidendam diuini obsequij atque in proximum caritatis exercendæ donatam ansam: Quarum literarum fragmentum casu in manus delapsum huc transcribere visum est, ex quo, tanquam ex vngue leonem, intelligere est quanta gaudij accessio ei viro facta sit, cuius omnis intentio & conatus eo colliniabat, vt quam plurimum fructus per viros præstantissimos in dilectam patriam deriuaretur. Sic igitur incipit.

Literæ A-
lani ad Cā-
pianum 9.
Decemb.
1579.

”Mi Pater, Frater, Fili, *Edmunde Campiane*, (mutuientim ac summi amoris appellationes omnes libenter vsurpo) cum te Ordinis vestri supremus Pater, ac Præfectus, id est, vt ego accipio, vox *Iesu*, Prægâ Romam, ac porro in Angliam nostram vocet, cōpellent quoque secundum carnē Fratres tui, quorum voces licet tu non audias, Deus tamen vota exaudiuit; Ego ipsis, tibi, ac communi Patriæ, & secundum seculum, & secundum Dominum coniunctissimus, vel in primis desiderare, vocare, clamare debui &c. (Et paulo inferius) de animo ac voluntate tua in hoc genere non dubito cum non proprio sed alieno arbitrio felicissimè viuas, nec extremos Indos summaque pericula tuorum iussu horreres. Magna est iam in Anglia nostra messis, & vulgaribus operarijs non contenta, expeditiores homines requirit, sed te in primis ipsum, cum aliis vestri Ordinis selectis viris postulat.) Hæc Alanus: plura reddissem si in plura incidisse contigisset. Ipse (dum literis *Euerardi Mercuriani* Romam euocatur *Campianus*) Rhemos regreditur, nobiles pugiles cum se in viam dedissent quo ipsum decebat honore ac beneuolentiâ complexurus.



HIS.